


I. N. 7.

ΚΑΛΟΣ ΣΤΡΑΤΙΩΤΗΣ

S E V

E P I S C O P V S M I L E S.

A D L E C T O R E M P R O L O G V S.



Insigne illud Wittebergensis Academiae quondam decus CASPAR ZIEGLERVS, peculiarem anno MDCLXXII. edidit tractatum, cui titulus: *Σιδηρόζυλον Ecclesiasticum, siue Episcopus Miles in Veteri Ecclesia inuisus.* Recusum est ob materiae praestantiam opusculum anno MDCCXVIII. ac hodie in omnium fere literatorum manibus est. In lectione eruditissimi huius scripti deprehendi, doctissimum Virum hoc praepremis agere, vt ex plurimorum seculorum historia demonstraret, ac ex Iure potissimum Canonico confirmet, nihil in vniuersum inueniri posse, quod excusare valeat armatam episcoporum militiam, sed semper & vbi-que, prioribus praecipue temporibus, creditum fuisse, non alia esse debere Clericorum arma, quam Spiritualia, secularia illis plane non conuenire. Quid praestiterit ZIEGLERVS, Lectoris est diiudicare. Clarissimo scriptori haudquaquam contradico, dum in praesenti specimine: Episcopum Militem in Veteri Ecclesia pergratum, conspiciendum sisto. De diuersa quippe militia vtrique agimus. de seculari ille, de spirituali ego. Priorem improbo, posteriorem laudo. Hanc mihi gloriam exopto, vocari iure: *στρατιώτης καλός.*

A

CAPVT